Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3059
Quelle:
Copyright:

Anno domini M°. CCCC°. XXXIII. *finitus est iste libellus XII. die mensis Januarij. Per Symonem presbiterum de Glathouia tunc exulem in* **Patauia**. Atqui hoc tempore aut *Hermannus* O. P. Ep. *Prisinensis*, aut *Petrus* II. O. M. Ep. *Marchopolensis* Suffraganeus *Patauiensis* fuit, cujus proinde nomen erasum, substituto *Andrea*. *Simon* porro, utut turbis *Hussiticis* extorris, laborem tamen suum Patriae suae destinasse videtur; nam *Litaniis OO. SS.* nomina Indigetum *Bohemiae Viti*, *Wenceslai*, *Adalberti*, *Procopii* curate inseruit.

Anteriori *Codicis* Thecae verba quaedam intus characteribus grandibus *Cyrillicis*, *Glagoliticis*que mixtis adscripta sunt, e quibus tamen ob aliquot formas peregrinas interjectas nihil extundas.

DCCCXLIII.

467 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 24. 4. in fine mancus continet *Emendationes* variorum *Hymnorum*, item *Sequentiarum*, *Responsoriorum*, *Orationum* Officii Ecclesiastici. Autor earum cordatissimus noster *Jacobus Wimphelingius*, ut partim ex ipso fragmento nostro, in quo *Isidoneum* suum citat, partim ex Editione *Argent.* 1513. 4. constat. Nobis initium est: *Loci deprauati in Hymnis. Corde natus. In Hymno corde natus, in secundo Versu legendum est: O beatus ortus, et non partus, quia tres debent esse trochei* &c. Finis vero: *Sunt etiam qui libros deprauant: et nefas abradunt* — —. Dolendum, neminem ante nos ad Autoris nostri Scripta colligenda animum adpulisse, quod, ut post Cl. *Jos. Ant. Rieggeri Amoenitates literar. Friburgenses* multo foret expeditius, ita aevo hoc nostro futurum vix sperem.

DCCCXLIV.

Codex membraneus lat. incertum quando, non tamen ante Sec. 804
XII. ut videtur, scriptus, Folior. nunc 89. 8. tam singularem characterum formam exhibet, ut *Lambecius* ὁ μαχαιρης olim ratus *aethiopicos*, seu *copticos* esse, fragmentum inde depromtum ad *Jobum Ludolphum* hujus literaturae tum fama florentem consilii capiendi caussa miserit. Narrant rem non sine lapsibus *Wilh. Tenzelius* in *Colloquiis mensir.* vernac. ad an. 1691. p. 248. et *Baudelot. Dairvalius de Utilit. Itinerum* gallic. edit. prior. T. II. p. 434. posterior. p. 84. *Ludolphus* examine instituto characteres quidem prorsus exoticos, sermonem tamen latinum et quidem *Evangeliorum* περιοποας iis inclusas deprehendit. Concinnavit igitur Clavim alphabeticam, eamque unacum Fragmento ad *Lambecium* remisit. Fragmentum istud 2. foliis constans, quorum excisorum vestigia in *Codice* inter *foll.* 84. et 85. etiamnum manifesta sunt, deinceps una cum Clavi, nescio, quo fato, deperiit. Quod damnum Cl. *Kollarius* eatenus resarsit, ut et nov-